



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

2. Sub qua obligatione?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

8. Excipe Secundo, quando aliud Sacramentum infirmus non suscepit, nec contritionem elicit, nam tunc videtur ex obligatione Charitatis ad se ipsum, teneri ad suscipiendam Extremam-Vnctionem, ut si sit forte in peccato sibi non cognito, gratiam cum attritione acquirit, iustitiae debeat.

9. Atque id, quod in hac secunda exceptione dictum est, debere etiam servari à Ministris, & Affidentibus circa infirmum, operæ pretium est, advertere.

10. Denique Prælati, & Parochi, sub quam obligatione tenentur ad hoc Sacramentum suis ovibus administrandum, dicam cap. quarto, num. quinto.

§. VI. Quando reiterari potest Extrema-Vnctio.

1. Quamvis Extrema-Vnctio Characterem non imprimat, ut supponit Tridentinum sess. 7. cap. 9. de Sacram. gen. ex Eugenii Quarti definitione, nihilominus, eodem periculo mortis perseverante, iterari, nec licet, nec valide potest, quia semel habita, sufficit pro eodem periculo, ut ex usu Ecclesiæ constat antiquissimo. At si novum superveniat periculum, licet infirmitas non cessaverit, valide poterit, & licet, quia tunc censetur alia nova infirmitas, atque adeo novo remedio, novoque indigens auxilio.

2. Hæc sunt certa, & omnibus obvia. Verum gravis difficultas apud Doctores agitur, quoniam modo hoc novum periculum cognosci possit? Quod tamen ex frequentibus eorumdem Doctorum explanationibus habebis, spero, manifeste.

3. Hurtadus de Extr. Vnct. diff. 10. sine, sic loquitur: *Vino novum adst periculum, non requiritur, maius temporis intervallum, quam quod requiritur, ut infirmus dicatur prius periculum evasisse, seu fuisse extra illud.*

4. Bonacina d. 8. de Extr. Vnct. p. 6. n. 4. sic, *Si status, inquit, infirmitatis mutetur, potest iterari Extrema-Vnctio, itaque, si existens in periculo mortis infirmus percipit Extremam-Vnctionem, deinde per aliquos dies evasit mortis periculum, ut si, per mensem, convalescit à periculo mortis, potest iterum recipere hoc Sacramentum, si iterum incidat in grave ejusdem mortis periculum.*

5. Suarez tom. 4. in 3. p. d. 40. sect. 4. num. 7. cum dixisset, *frivolum esse, ad iterandam Extremam-Vnctionem, vnius anni interruptione postulare, vel vnius mensis, sic addit, Ideo hæc regula non est admodum certa, ideoque prudenti arbitrio hoc relinquendum est, ut nimirum, considerata diuturnitate aggritudinis, & statu ejus, & interruptionis eorum inter se, practica, & communi estimatione, illa censeantur diversa pericula, & status ita diverfi, ut perinde se habeant, ac si essent morbi omnino distincti.*

6. Corinchi d. 19. de Extr. Vnct. d. 8. n. 26. ita docent, *Intervallum inter periculum transactum & periculum novum in eadem infirmitate, debet esse notabile, id est tantum, ut verumque periculum, non solum secundum apparentiam, & effectus, sed in re ipsa possit dici distinctum, ita ut ager, medio tempore, prudenti iudicio, possit dici fuisse, extra periculum mortis, quoad illum morbum attinet.*

7. Denique Rituale Romanum his verbis breviter, & discretè propositam rem, sic expedit. *In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, ut cum infirmus convalescit, iterum in periculum mortis incidit.*

CAPUT III.

De Ministro hujus Sacramenti.

§. I. Minister est Sacerdos.

1. Pro valore, est quilibet simplex Sacerdos, licet excommunicatus, vel degradatus. Pro licito autem, debet esse Sacerdos non excommunicatus, nec alia innotatus Censura, & Iurisdictionem habens in

Parti I.

infirmum, qualis est Prælati pro suis ovibus, ut item est Parochus pro suis, vel alius Sacerdos ex alterutrius commissione tacita, vel expressa. Quare in necessitate quilibet Sacerdos nulla Censura ligatus licet conferre, quia potest præsumere licentiam Parochi, vel Prælati; cum in his actionibus, quæ non ut valide, sed ut licet fiant, dependent à Superiore, non requiratur, nisi probabilis ejusdem consensus: ut ait Castropalans, de Extr. Vnct. p. 7. num. 4. sic disponere.

2. Si sine vlla licentia Sacerdos alterum vngeret, saltem sapè id faciendo, videtur res gravis, atque adeo culpa mortalis; vlturpat enim Iurisdictionem alterius. Non ita si semel; aut iterum; sic enim leve quid est, ut in simili alibi memini. In opus. de commun. c. 5. §. 4. n. 8. me declarasse.

3. An Sacerdos excommunicatus licet ex necessitate inungat? colligi ex ibidem dictis potest.

§. II. Sub qua obligatione.

1. Parochus, & Prælati tenentur ex iustitia, Lege Laym. lib. 5. tract. 2. c. 7. num. 3. Dianam p. 3. tract. 4. resol. 170. Suar. tom. 4. in 3. p. d. 44. sect. 3. ex obligatione sui officii sub mortali (alii enim Sacerdotes, solum ex Charitate) hoc Sacramentum conferre suis ovibus, sive expressè, sive tacitè petentibus: quam tacitam petitionem ego interpretor adesse, quoties infirmus graviter decumbit, nec Sacerdotem excludit, immò si excludat, debet à Parocho persuaderi, &c. Licet enim infirmus, modo supradicto, non obligetur, saltem regulariter, sub mortali Extremam-Vnctionem suscipere, qui potest suo iuri cedere, non tamen ita Parochus, qui ut Pastor debet in illo gravi articulo suis ovibus de spiritualibus remediis providere.

2. Pro tempore pestis videantur Castrop. l. c. p. 8. n. 5. & multi quos citat Leander de Extr. Vnct. d. 1. q. 8. & 9. Adde Suar. tom. 4. d. 44. sect. 3. num. 20. Nobis in præsentia satis sit duo notare. Primò, Docent non pauci, ut Dian. Villalob. Amicus. Franc. De Lugo Suar. alique cum Medul. Theolog. de Extr. Vnct. cap. 1. n. 1. si peste infecti, sint confessi, vnde censentur esse in gratia, posse Extremam-Vnctionem absolute omitti.

3. Secundo; Docent Tannerus, allatus à Medulla Theol. l. c. Suar. de Extr. Vnct. d. 44. sect. 3. num. 20. alique, non teneri Parochum, quando adhibitis remediis adhuc subest periculum suæ vitæ, hoc Sacramentum portigere, sed addit Suarez loc. cit. Parochum obligari, adhibere convenientia remedia, quibus possit sine morali periculo, Extremam-Vnctionem ministrare. Lege ipsum, qui hæc remedia enumerat.

§. III. Religiosi, an sint hujusmodi Sacramenti Ministri.

1. Contra Religiosos conferentes hoc Sacramentum fulminatur ipso facto excommunicatio Pontifici reservata in Clementina, prima de Privilegiis. Intellige autem, quando sine licentia tacita vel expressa Parochi, vel sine Pontificis privilegio id faciant. Quibus tamen ipsi ex privilegio conferre Extremam-Vnctionem possunt, habes late apud Quintanadu. l. mox. tit. 1. ex quo duo seligo duntaxat.

2. Primò. Si Novitius Sacerdos conferat alicui Extremam-Vnctionem sine licentia Parochi, peccat quidem modo dicto §. 1. n. 3. at non afficitur hac excommunicatione. Ita Suarez tom. 5. in 3. p. d. 22. de Cens. sect. 4. num. 3. (quidquid dicat Navarrus in man. cap. 22. num. 102. Sylu. V. excomm. 7. num. 32. apud Suar. citatum,) nam hæc excommunicatio est contra Religiosos, Novitii autem, in odiosis, Religiosorum nomine, non veniunt.

3. Secundo. In dicta Clementina non est sermo de Religioso ministrante hoc Sacramentum, alteri Religioso, qui est exemptus à Iurisdictione Parochi.

I 2 Ratio